35 **CLERICIS** (Antonius a) DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ASPARAGO. Sm. 4to, modern boards. **£3 10 0**

Jodocus Wilhelm Kohles: Altdorf [1715]

*** Surg. Gen. Lib Cat., I.S. III., 220. The above book is the earliest work on the medicinal properties of asparagus quoted by the Surgeon's General's Library Catalogue, the next being dated 1778, after which follow six others all published after 1800. As this catalogue is, probably, the largest one in the world devoted exclusively to medical subjects (41 volumes 4to, each volume about 800 pages) we may conclude that the present book is one of the earliest on asparagus and that the total number of monographs before 1800 is probably under five.

Clericis

13-10-0

907

I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

ASPARAGO

QUAM

DIVINO SUB PRAESIDIO

ANNUENTE

GRATIOSA FACULTATE MEDICA

IN CELEBERRIMO, QUOD ALTDORFI FLORET, NORIMBERGENSIUM ATHENÆO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT


AD. D. XXV. JUN. A. C. MDCC XV.

ANTONIUS A CLERICIS

CURIA-RHAETUS.

ALTORFI

LITERIS JODOC. GUILIELM. KOHLESII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIVM.

Cogitanti mihi, qualenam Thema *eligerem*, inauguralis meæ dissertationis, *ipsa præsens anni periodus* ASPARAGVM *suppeditavit, plantam pharmacopoliis pariter ac culinis frequentatam, & Medicinæ non minus quam victui dicatam. Magni semper æstimatæ fuerunt a recte sentientibus illæ res, quæ* alimenta *præbent* medicamentosa *aut* Medicamenta alimentosa; *e quorum numero* Asparagum *esse nemo nisi rudissimus ignorat. Neque reformidandam mihi puto reprehensionem, quasi circa rem vulgo cognitam versaturus, inanem operam collocarem. Stant pro me magnorum ævi prisci virorum exempla,* Catonis *præsertim, gravissimi Romanorum, qui* Brassicam *ejusque miras virtutes prolixe celebravit, quod etiam ante illum* Pythagoras, Chrysippus & Dieuches *inter Græcos, quisque singulari libro susceperunt* Plinio *teste; ex quo etiam discere licet, quod* Moschion, *Græcus pariter Medicus, unum de* raphano *volumen scripserit.* Antonium Musam Lactucæ *commentatio Cæsari Augusto facta non solum opibus &*

honoribus, dum viveret, auctum; sed & historiis ad hæc usque tempora memorabilem reddidit.

Esto igitur mihi ASPARAGVS *dignum satis* Thema, *in quo ingenium meum exercerem, & profectus in studio Medico qualescumque declararem, insimul etiam veluti specimine quodam ostenderem, quod liceat in vulgarium quoque rerum examine ultra vulgus sapere.*

§. I.



Vocabula esse rerum involucra, plerique eruditorum statuunt, & propterea in tractatione rerum non omnino negligenda contendunt. Quare & mei muneris fore arbitratus sum, ut ante omnia concinnam ASPARAGI *onomatologiam* traderem. Verum enim vero, cum incidissem in epistolam *Gabr. Fallopii* (a) qua is ad *Hieronymum Mercurialem de Asparagi appellatione & synonymis* quamplurima perscripsit, dubitare cœpi, an non consultius de iisdem plane abstinerem: Tandem vero pauca saltem quædam in medium proferre decrevi, ne susque deque habuisse videar inveteratam consuetudinem. Est autem, nemine contradicente, *originis græcæ ὁ ἀσπάραγος*, tametsi *e Latinitatis fontibus* derivatum, & *ab asperis virgultis*, *aut scapis asperis*, dictum, primo autumaverit *Varro*, (b) statim tamen semetipsum corrigens atque concedens, *græcum esse.* Unde vero idem deducendum sit, vix operæ pretium esse puto cum Lexicographis disputare, ad quos potius remissum volo quemlibet,

(a) *Tract. de Medic. simpl. facult. in fine.* (b) *de lingua Latina L. IV.*

libet, qui hujusmodi ſubtilitatibus & conjecturis impenſius, quam ego, delectatur. Hoc obiter tantum annoto, quod *Athenæus* (c) memoriæ prodidit, quosdam Græcos olim ſcripſiſſe per φ, ἀσφάραγον.

§. II.

Quemadmodum autem *Latini*, ſic & aliæ gentes per Europam cultiores, in ſuam quæque Linguam a Græca tranſſumpſerunt *Aſparagi* dictionem, A tamen, litera interdum rejecta; unde & Germanorum Spargel / Spargen / Sparſchen: Quibus prælucet autoritas *Theodori*, Medici veteris Latini, apud quem (d) bis legitur *Sparagus*. Cæterum hoc non debet prætermitti ſilentio, quod *aſparagi vocabulum*, *Galeno* (e) docente, *omnes propemodum teneros caules & germina tenera, ſeu ex oleribus & herbis, ſeu ex ſuffruticibus, ſeu ex fruticibus arboribusque, deſignet; per antonomaſiam* vero *peculiari plantæ generi* attribuatur, de quo unice mihi ſermo eſt, excluſis reliquis *aliarum plantarum turionibus*, aut teneris noviſque germinibus.

§. III.

Jam, miſſis vocabulis, ad rem ipſam realemque deſcriptionem progredior. Vix autem ullibi apud Botanicos clarius delineatas invenio *Aſparagi notas genericas*, quam apud *Tournefortum* (f) qui talem exhibet deſcriptionem: *Aſparagus eſt plantæ genus, flore roſaceo, ſenis plerumque petalis in orbem poſitis conſtante; ex cujus meditullio ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum mollem, ſeu baccam ferè globoſam, ſeminibusq; fœtam, ut plurimum duris. His notis addenda folia te-*

 nuia

(c) *Dipnoſoph. Lib. II. cap.* 22. (d) *lib. de diæta cap. X.* (e) *lib. II. de aliment. facultat.* (f) *Inſtit. Rei herb. pag.* 300.

nuia. Quomodo alii Botanici e. g. *Paulus Amannus* cum *Morisono*, *Hermannus*, *Rajus*, ſecundum diverſas methodi ſuæ *regulas* GENVS ASPARAGI *collocaverint*, e ſigulorum ſcriptis perſpicuè ſatis indicavit Celeberrimus ipſe Botanicus D. *Volckamerus* (g): Mihi ſufficit hoc monuiſſe, quod omnes *ad herbarum bacciferarum claſſem*, ſuadente ſic fructificationis charactere *Aſparagum* retulerint.

§. IV.

Explanato nunc *genere Aſparagi*, æquum eſt, ut *ſpecies* quoque ad idem pertinentes recenſeam. Et quidem ex veterum autorum ordine *Theophraſtus*, unicum ſaltem, eumque ſpontaneum deſcribit Aſparagum; *Dioſcorides* verò & *Plinius* duplicem agnoſcunt, *ſylveſtrem* & *altilem*, aut *ſativum* ſive *hortenſem*; quamvis controverſum ſit inter rei herbariæ ſcriptores, *utrum noſter hodiernus altilis Aſparagus idem ſit cum iſto Dioſcoridis, an ab hoc diverſus?* Qua de re liberaliter admodum diſceptavit *Joh. Bodæus à Stapel* (h). Recentiores autem, præſertim uterque *Bauhinus*, plures commemorant *Aſparagi ſpecies*: Sed nemo majorem numerum collegit quam laudatus *Tournefort*, & *Joh. Rajus* (i); Et ille quidem l. c. *novem ſpecies* exhibet, quibus alias *quatuor in Corollario* (l) adjicit, adeoque in univerſum Xiij. *ſpecies* enumerat. *Rajus* autem in *tomo primo hiſtoriæ plantarum quinque ſaltem differentias deſcribit*, *aſt in tertio* tomo alias *duodecim* ſuperaddit, ut ſint conjunctim *ſpecies* xvij. Neutiquam vero pro ratione inſtituti mei neceſſarium duco, *appellationes ac deſcriptiones ſingularum ſpecierum* iſtarum huc transferre; qui

(g) *Flor. Noriberg. pag.* 48. (h) *Comment. in Theophr. H. P. pag.* 601. (i) *Hiſt. Plant. Tom. I. p.* 683. & *Tom. III. p.* 359. (l) *pag.* 21.

qui mihi ſaltem gratulor, quod pleraſque, cum duabus etiam nondum deſcriptis viderim in locupletiſſimo Herbario vivo *Magnifici hujus Academiæ* h. t. *Rectoris*, *Viri Prænobiliſſimi, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi, D. D.* LAVRENTII HEISTERI, *Medic. Doct. Theoret. Anat. & Chirurg. Profeſſ. Publ. meritiſſimi, Patroni ac Præceptoris mei honoratiſſimi.*

§. V.

Duas tamen *Aſparagi ſpecies* paulo plenius mihi deſcribendas eſſe exiſtimo, quæ ſcilicet notum præ ceteris *uſum* & olim habuerunt & hodienum habent *in victu & Medicina*. Harum prima, & quaſi omnium inſtar eſt quam ante jam nominavi, *ſativus* nempe aut *hortenſis aſparagus*, cujus formam, quoad ſingulas partes accurate ſatis delineavit *Valerius Cordus* (m) ſequentem in modum: *Caules* emittit primo vere teneros, longos, teretes, virides, glabros, et ſine foliis, ab uno ceſpite plures, qui paulatim in numeroſos, tenues & lentos dividuntur *ramos & virgas*, & circa has *folia* frequentia, unciæ longitudine, individua & capillorum aut ſetarum modo tenuia: tota itaque herba cum fœniculo aliquam in foliis ſimilitudinem habet, & duorum cubitorum longitudinem petit. *Flores*, ſole in geminos tranſeunte, circa ramulos copioſos, parvos & pallidos producit, & poſt eos *baccas* piſi quantitate, rotundas, rubentesque, intus carnem ſuam duo aut tria nigra & corneæ ſoliditatis *ſemina* claudentes. *Radicibus* nititur perennibus, numeroſis, ab uno tranſverſo, & propter caulium veſtigia, aſpero, villoſoque dorſo, utrinque in obliquum deſcendentibus, longis, teretibus, lentis, foris

(m) *Hiſt. Plant. Lib. I. Cap.* 46.

foris cineraceis, intus autem candidis, quibus dulcis & glutinosus est sapor: Cauliculi item teneri admodum suavem saporem habent, sic ipsa etiam *semina*.

§. VI.

Altera quam descripturus sum *Asparagi species*, *sylvestris* cognominatur, & complurium Botanicorum suffragio, *eadem planta est cum asparago petræo*, aut μυάκανθα *Dioscoridis*, & cum *Corruda Plinii*, aliorumque veterum Latinorum. Concinnam ejus historiam a *Johanne Baubino* (n) mutuare placet. Duris contortis angulosis *virgultis* ad hominis altitudinem fruticat, in frequentes *ramulos* striatos, alternatim fere divisos: *foliola* ex uno puncto plura exeunt, veluti in larice, *duriora & breviora quam Asparagi altilis*, *& spinarum quam foliorum nomine digniora*, quippe acriter pungentia: *Flores* parvi pallidi, altilis Asparagi æmuli: *baccæ* prima fronte ejusdem baccis similes, ingrati saporis, & teredini obnoxiæ, in quibus primum occurrit pellicula alba pellucida, deinde rubra, densa, tertio nigricans, postremo *semen* unicum vel duo alba, latescentia, duriuscula.

§. VII.

Non me latet, *Corrudæ nomen aliis quoque sylvestribus & spinosis asparagi speciebus tribui*, sed tamen ea quam descripsi, notas *Corrudæ Veterum* manifesto magis quam reliquæ præse ferre videtur. Existimant nonnulli *Corrudam* dici a *corruendo*, quod graciles cauliculi & ramuli istius *asparagi*, quando adolevit, facile corruant; quod etiam significari volunt per Atticum vocabu-

(n) *Tom. III. Hist. plant. fol.* 221.

cabulum à *Plinio* allegatum, Orminium ἀπὸ τȣ̃ ὁρμᾶν, *a ruendo* derivandum. Μυάκανθαν vero, i. e. *muris ſpinam*, nuncupatum volunt *ſylveſtrem aſparagum*, propter exiguorum foliorum rigidas aciculas. *Hyacinthus Ambroſinus* (o) *corrudæ ſynonymon* facit *palatium leporis*, quoniam lepores ſæpiſſime in hac herba ſtabulentur, cum denſiſſimos ſupra terram producat ramos. Sed enim vero id fortaſſe rectius competit *Aſparago ſylveſtri tenuiſſimo folio Caſp. Bauhini*, ſub eo enim, utpote mollioribus foliis prædito, lubentius quam ſub *Corruda* aut aculeato aſparago habitare lepores credibile eſt. Nec veritatis caret ſpecie quod aliqui ſuſpicantur, molliorem iſtum Aſparagum ſylveſtrem eundem eſſe quem *Plinius* (p) indigitavit: *Eſt & aliud genus incultius aſparago, mitius corruda, paſſim in montibus naſcens, refertis ſuperioribus Germaniæ campis, non infaceto Tiberii Cæſaris dicto, herbam ibi quandam naſci ſimillimam aſparago.*

§. VIII.

Eſt hinc opinio quorundam, *quod iſte ſylveſtris, & mollibus foliis aſparagus, ab hortenſi non niſi cultura differat*, cujus beneficio ille in hunc facile mutari et eſui proinde aptus reddi queat. Sed vero contrarium evincit *Tourneforti* (q) ſequens obſervatio, quam e Gallica lingua latinam feci: *Sylveſtris ea ſpecies aſparagi proxime ad communem ſativam colitur jam inde a longo tempore in horto Regio: verum ille hactenus nihil mutatus, imo vero tota planta gracilior reddita eſt, quam in campo deprehendi.* Quod autem hæc ſylveſtris aut quæcunque alia *ſpecies Aſparagi naſcatur arietis cornibus*

B

(o) *Phytologia p. 78.* (p) *lib. XIX. cap. 8.*

bus tusis atque defossis, uti quidem *Plinius* l. c. se invenisse testatur, vel quod integra ista cornua, si perforentur & pangantur, asparagum producant, uti *Cassianus Bassus* (r) perhibet, id sane nefas est credere, eo sensu quo aliqui recentiorum volunt, quasi præter omne semen, aut radicem propriam, *asparagus* proveniat ex istis cornibus; quorum tamen sulphureo-salina & gelatinosa substantia, ut aliarum plantarum vegetationem, notissimo experimento, ita seorsim *asparagi* feliciorem atque lautiorem proventum sine dubio efficiet.

§. *IX.*

Pateretur jam occasio ut me diffunderem in diversos colendi asparagum modos. Quamvis enim nullum sit dubium, quin, sicut olim variis in locis *spontanea* extiterit, ita hodie alicubi etiam non culta inveniatur *præstantior illa species Asparagi*, quam nos hortensem vocamus; ipsa tamen jam ante Christum natum in hortos transferri & in his coli cœpit, certè jam Catonis tempore; quem miratur Plinius, quod nihil diligentius comprehenderit, quàm *asparagi sationem*, quod & novissimum libri ejus sit, ut appareat repentinam viro curam fuisse. Ac sane *Catonis* (t) præcepta *de asparago serendo*, sunt *adeò ampla & luculenta, ut vix intelligam quid ipsis adjecerit* posterorum industria. Si cui tamen ista non suffecerint, is confere dignabitur reliquos rei rusticæ scriptores, *Columellam* & *Palladium*. Ex recentioribus autem oppido multi culturam *Asparagorum* docuerunt, imprimis verò perspicuè *Joh. Sigismundus Elsholtius* (u).

§. X.

(r) *Lib. XII. cap.* 18. (t) *de re rustic. cap. penult.* (u) *Horticult. germ. edit, p. m.* 161.

§. X.

Ceterum id planè conſtat, potiſſimum *finem culturæ aſparagi* eſſe, ut *turiones* ejus, aut *prima*, quæ radix quotannis protrudit *germina, craſſiora magisque ſucculenta* evadant. Tales olim *Ravennæ* in hortis proveniſſe ſcribit *Plinius* altiles aſparagos, ut *tres eorum libram pependerint.* Imò etiam in Anglia, Martino Liſtero (x) aſſeverante, *centum Aſparagi aliquando triginta libras pependerunt.* Profectò autem ille *Aſparagus qui in horto Eyſtettenſi delineatus extat* mole adhuc eſt ſuperior. Omnem verò fidem excedit quod *Athenæus* l. c. narrat, *in Lybiæ Getulia inſtar arundinis Cypriæ Aſparagos craſſeſcere, aſſurgereque ad cubitos circiter viginti : & in montoſis & vicinis Oceano locis ejus regionis ad ferulæ craſſitiem augeſcere & viginti cubitorum proceritatem.* Tam *portentoſos Aſparagos* ego mecum conſiderans, utendum mihi cenſeo idonea epicriſi, quam alia occaſione quidam adhibuit : *non quidem invideo, ſed miror!* Sed extra jocum, ſolent interdum *Aſparagi*, grandeſcere ultra modum, plerumque tamen tunc *monſtroſam* induere *formam*; cujusmodi eſt ille quem *Joh. Bauhinus* l. c. *Aſparagi platycaulis* titulo deſcripſit. Similia exempla memorantur ab *Elsboltio* laudato & in *Epehmeridibus Acad. nat. curios* (y).

§. XI.

Abſoluta ſic breviter, quousque licuit, *botanica Aſparagi hiſtoriâ*, ad *medicum* ipſius *examen* me nunc accingo, id præmonens, quod cum *tres diſtinctæ partes Aſparagi* (ſaltem ſativi) in uſum trahi ſoleant, *radices* nempe, *turiones* ſeu teneri caules, & *ſemina*, de

 ſingu-

(x) *Anotat. in Apicium* p. 77. (y) *Dec. III. Ann. II. p.* 157. & *Ann. VII. & VIII. p.* 31.

ſingulis etiam diſtinctè pronunciandum mihi eſſe videatur. Abſit autem ut ſubſcribam rigidæ cenſuræ & judicio parum æquo Viri, alioquin æquiſſimi & graviſſimi *Dan. Ludovici* (z), *Aſparagi turiones linquendos eſſe delicatulis, ſemen vanis exoletisq; compoſitionibus, radicem (inter tot æquipollentes) hortis.* Quamvis enim lubens fatear, *non eſſe adeò abſolutam neceſſitatem Aſparagi*, ut eo carere nullatenus, aut non alia in locum ejus ſubſtituere Medici queant, propterea tamen non valet conſequentia, *quod omnino negligi & ex apparatu rerum ſalubrium*, tam ad diætam quàm ad Pharmaciam pertinentium *proſcribi* debeat. Grata eſt plerisque hominibus, tam in alimentorum quàm remediorum uſu *varietas;* hanc niſi obſervaverit vel admiſerit Medicus, ubicunque tutò licet, moroſi hominis ſpeciem atque titulum vix effugiet, quippe qui eadem ſemper chordâ oberret, nec poſſit, nec velit *jucunde* curare, & indulgere aliquid appetitui hominum, vel conſuetudini. Quare maneat *Aſparago* ſua laus & utilitas, quam ipſi à tot ſeculis, tot magni medici per experientiam edocti, attribuerunt.

§. XII.

Dicam verò prius de *turionibus*, aut *teneris aſparagi caulibius.* Hos apertè conſtat abundare multis *particulis aqueis ac terreis*, nec paucis *ſalino nitroſis*, tum & quibusdam *ſulphureo mucilaginoſis.* Et *aqueæ* quidem, è ſucco copioſo, *terreæ* verò è ſolida ſubſtantia poſt exſiccationem remanente, ad oculum patent: *Salinas* ſapor & virtus diuretica prodit: *ſulphureas* fœtor, quem urina hinc contrahit; *mucilaginoſas* denique facultas nutriendi arguit. Hinc facilè colligitur, iſtos *turiones*, ratione

(z) *Pharmac. Diſſert. I. p. m.* 181.

tione *primarum* (olim ita dictarum) *qualitatum, valde temperatos* esse, ac ideo plerisquè hominum complexionibus neutiquam adversos; unde etiam *promiscuè victui inserviunt*, citra singularem aliquam dyscrasiæ metuendam noxam. Dum autem de *manifestis effectibus illorum asparagi turionum* sigillatim agere suscipio, primùm occurrit delibanda quæstio, *an & quomodò asparagus nutriat?* Certe quod *particulis ad alendum idoneis* gaudeat, solus sapor evincit, γλισχρόν τι, id est *lentum, viscosum* aut *glutinosum* quid in *Asparago* prodens. Quam ob rem non inepte judicavit *Simeon Sethi*(a) *Asparagum inter omnia olera plurimum alimenti habere, ipsiusque substantiam medium locum mereri inter alimenta plantarum & carnium.* Cui quidem contraria quodamodo videtur *Galeni* (b) sententia, qui *parum nutrire statuit Asparagum, magis tamen quam reliqua sui generis*, quod idem fere est, quam quod *Sethi* asseruit; neque enim is alio sensu, quam *in comparatione cum cæteris oleribus, multum alere* contendit. Minime vero audiendus est *Celsus* (c) qui *Asparagum*, quoad nutriendi facultatem, brassicæ, betæ & porrò quoque postponit: sed ille forsan *sylvestrem* tantum intellexit *Asparagum*, sativo, uti macilentiorem, sic ad nutriendum sine dubio ineptiorem.

§. XIII.

Antequam ad alias *turionum asparagi* dotes exponendas progredior, pauca quædam *de modo illos ad victum præparandi e* differam. Quod *coqui* debeant isti *turiones*, in confesso est, sicut & hoc, quod *vehementem ac longam coctionem respuant.* Inde natum *proverbium*

(a) *de Aliment. facult. p. m.* 8. (b) *L. II. de Aliment. facultat. cap.* 59. (c) *L. II. cap.* 18.

bium, Octavio Augusto Cæsari familiare, ceu **Suetonius** tradit: *Velocius quàm Asparagi conquuntur:* ad exprimendum negotium quod cito confici potest ac debet. Omnino autem servandus est *modus in asparago coquendo*; quod si enim *mitius* id fiat, cruditates relinquntur, tam gustui plerorumque, quàm ventriculo ingratæ; *nimium* autem & ad extremam usque mollitiem *coctus*, multum substantiæ suæ delicatioris & laudabilis amittit, quo minus nutrire & alias utilitates desideratas præbere valeat. De *duplici asparagum præparandi ratione*, culinis usitatâ, nempe vel in jusculo calido, vel cum aceto & oleo in morem aliorum acetariorum, nil attinet dicere, nisi quòd *posterior modus sæpe in abusum transeat*, quando gratum istud gulæ irritamentum, & largius ingeritur, & plus interdum aceti, salis, atque piperis secum abripit in ventriculum, quàm bonæ valetudinis prudens observatio permittit. Singulares *cautelas circa præparationem asparagi* annotavit *Elsholtius* (d). Quoniam verò per paucos admodum menses recentia haberi possunt *tenera & esui apta asparagi germina*, siquidem appetente Julio mense aut nulli amplius succedunt, aut qui succrescunt nimis graciles, parumque succulenti, sed magis lignosi & ingrati existunt, eapropter *ingeniosa homium gula* cogitare cœpit de *artificio* ita *condiendi asparagum*, ut reliquis etiam anni temporibus idem præsto esse ac mensis apponi queat. Rudis admodum est præscriptio *Apicii Cœlii* (e) *Asparagos siccabis, rursum in calidam submittes.* Recte ad hunc locum *Mart. Listerus: hoc novum est, & nostratibus, quod scio, inusitatum; apud nos tamen condiuntur ad intinctus.* Meliorem hujus *conditurae* methodum

(d) *Diætetic. seu* Tisch-Buch *p. m.* 358. (e) *de re coquin. Lib. III. cap.* 3.

dum edocuit *Elsholtius* l. c. pag. 426. Totum artificium in hoc consistit, ut *Asparagi* semicocti in ollis sat capacibus repositi mergantur forti muria, cui deinde ad duorum digitorum eminentiam superinfunditur butyrum liquatum.

§. XIV.

Cæterum *asparagi turiones* jure merito referuntur inter *alimenta* εὐςόμαχα i.e. *ventriculo convenientia, & facilè digerenda*, ut parum intersit quo tempore prandii aut cœnæ assumantur: Ideoque supervacuum mihi apparet *Vopisci Fortunati Plempii* (f) monitum, *Asparagos aliquanto ante cibos alios devorandos esse, ut renes purgent, quos alioqui onerarent si ultimo loco à saturis manderentur*. Quod vero siccus naturâ sit *asparagus & alvum sistat*, *Hippocratis* suffragio, id quidem rursus non de *hortensi*, sed de *sylvestri* ac *petræo*, fortasse tunc unicè cognito, pronunciandum erit; quamvis & hujus *cauliculos in cibo coctos, ventrem emollire* testetur *Dioscorides*: A nostro sane *altili asparago* effectum istum nemo facile percipiet, qui potius *ad aperiendam* quam ad constipandam *alvum* conducit.

§. XV.

Altioris indaginis est quæstio, *an venerem incitet, an magis ad sterilitatem disponat esus asparagi?* Utrumque affirmant diversi autores, non absque fundamento. *Veneri favere* videtur, quatenus *nutrit & facile digeritur*, particulasque salino-sulphureas possidet, quæ ad generationem & orgasmum seminis, utcunque possunt facere. Quemadmodum etiam hodie id vulgo persuasum est, præeunte jam dudum *Simeone Sethi* l. c. qui expres-

(f) *de Togat. valetud. tuenda p. 230.* (g) *Lib. II. de diæta, text. 26.*

expressis verbis affirmat, *asparagos augere genituram.* Num vero, & quâ ratione *sterilitatem* inducant, nunc disquirendum est. Præter numerosa medicorum testimonia, id simpliciter asseverantia, apprime idem confirmat specialis casus à *Christ. Franc. Paullini* (h) observatus: Nobilis femina XXII. annorum, sana, & laudabilis temperamenti, in maximis, & tantum non quotidianis deliciis habebat *turiones* asparagi delicate præparatos. Mansit interea in splendido conjugio ad trienium usque sterilis, variis usa consiliis sed frustra. Aliquando ad prandium ab ea deductus, miratus sum, quam avide vorarit *asparagos*: Causam sterilitatis interim a me quærenti, dixi, quod olim in *instit. Mœbian. l. 4. part. 2. cap. 3. p. 463.* legeram, quod sc. usus eorum crebrior & largior fœminas *steriles* reddat. Illa quasi attonita omnes omnino æternum ejurans unice querebatur, se neminem unquam mortalium monuisse, nunc vero cautius mercari velle, uti quoque fecit. Facta tandem venustæ filiolæ mater.

§. XVI.

Causam hujus effectus, tametsi ipsum haud perpetuum fore existimem, latere suspicor in eo, ***quod cum asparagus potenter abstergat & aperiat, uterus hinc continuo ita solicitetur, ut magis ad egerendum quam ad recipiendum & retinendum aliquid idoneus existat.*** Cui conjecturæ haud exiguam affundit lucem, quod ***Sim. Sethi*** scribit, ***asparagum ciere menses.*** Atque ita est omnino, indeque ***per accidens*** quasi poterit oriri ***sterilitas*** apud mulieres tenerioris complexionis, & quarum uteri promte afficiuntur per abstersiva & aperientia remedia. Non perperam igitur *Joseph. Quercetanus* (i) hortatur fœminas,

(h) *Ephem. Acad. N. C. Dec. II. Ann. V. Append. p.* 67. (i) *Diætet. polyhistor. p. m.* 282.

nas, *ut aſparagorum eſu abſtineant, ne ipſis nimium indulgentes ſterileſcant; cum interim viris inde ſemen augeri & venerem excitari, in dubium non ſit vocandum.*

§. XVII.

Explorata autem magis habetur *virtus turionum aſparagi diuretica*, quam complures medici ad *calculum* quoque & *ſabulum mucumque tartareum in renibus & veſica genitum*, efficaciter *educendum* extendunt. Quid, quod *Dioſcorides* expreſſis verbis perhibet, *altilis aſparagi teneros cauliculos cum vino albo tritos, renum dolores ſedare, aſſum autem coctumve, urinæ ſtillicidium difficultatemque ac dyſenterias mitigare.* Præcipuum illius *virtutis diureticæ* argumentum peti ſolet *ab odore gravi ſeu fœtore, quem urina contrahit non diu poſt aſparagi commeſtionem.* De hoc phænomeno dignus notatu eſt apud *Simeonem* Sethi locus; *Vrinam movere, & renum obſtructiones recludere aſparagum, exinde patet, quod urinam in ſuum odorem vertat, uti id animadvertitur ipſo, non aliter quam laſere, comeſto.* Verum enim vero non æque *proprius aſparagi odor*, certe non ſolus, ſed in *herbaceo* aut *oleraceo* ſingulariter *fœtidus*, grave quid ſulphureum ac putridum ſpirans, in urina percipitur, idque in aliis citius ac vehementius, in aliis tardius atque mitius.

§. XVIII.

Vnde ſingularis illa *urinæ qualitas* originem ducat, non æque inter autores convenit. Quidam exiſtimant, quod ea *non tam ab ipſo aſparago quam a recrementis ſalino-ſulphureis putreſcentibus e maſſa ſanguinea per aſparagum ad renes & veſicam corrivatis*, oriatur. Alii ex adverſo *ſolam* pro cauſa agnoſcunt *aſparagi ſubſtantiam*, quæ ſicuti per ſe ad putredinem concipiendam promptiſſima ſit, ita, quando mediante chylo tranſierit in ſanguinem, non poſſit non *putredinis alicujus characterem ac*

fœto-

fœtorem ipſi imprimere. Illam vero tantopere accuſatam *aſparagi pronitatem ad putreſcendum* confidenter admodum deducit *Steph. Blankardus* (l) ab hoc unico, *quod Aſparagus coli ſoleat in ſolo valde ſtercorato, ex quo particulæ fimi a radicibus receptæ per totam aſparagi plantam largiter diſpenſentur.* Sed quis non videt, quam ficulnea exiſtat hæc ratio? dum notiſſimum eſt, *alia* complura *olera*, ſimili, nec minus ſtercorato, quam *aſparagus*, ſolo plantari, a quorum tamen frequenti eſu ne minimam *fœtoris* notam *in urina* perſentiſcere licet.

§. *XIX.*

Ad me quod attinet, rem ita mihi concipio, quod tam *aſparagus ſubſtantia ſua*, quam *digeſtionis actio* in corpore humano ad iſtum effectum utrinque concurrant. Et *aſparagus* quidem offerendo *materiam corruptioni contrahendæ obnoxiam*, quæ tamen a *peculiari*, nec tam facile definienda *digeſtionis aut coctionis energia* ſic diſponitur, ut *putredinis atque fœtoris habitum* velocius induat, quam alia ejusdem generis eſculenta, & ſe *per urinam* prodat, cui promovendæ ſingulariter aptus eſt aſparagus. Cæterum nec id negaverim, quod *pro diverſa conſtitutione individuorum*, & maſſæ ſanguineæ majori vel minori puritate, intenſior aut levior enaſci poſſit *ab aſparagi comeſtione fœtor*, prout nempe plures vel pauciores *putridæ ſalino-ſulphureæ moleculæ, cum iſtis aſparago propriis* ex maſſa ſanguinea per urinam præcipitantur.

§. *XX.*

Haud exiguam *aſparagi turionibus* maculam inurit *Jo. Bapt. van Helmont* (m), quando ipſos inſimulat *facultatis generandi calculum aut ſabulum* ſaltem, quatenus *putrilaginem urinæ* pariunt: teſtatur enim ſe vidiſſe *Jurisperitum, non ante afflictum lithiaſi, niſi poſtquam a largiori aſparagi eſu* do-

(l) *tract. de operat. medicam. cap. V. p. m.* 114. (m) *de lithiaſi cap. V. §.* 17.

domum rediſſet, ac deinceps non tam calculis quam ſubtiliſſimis arenis, præditus, aliquot annos, ſingulis forte quindenis, ſub atroci dolore decumberet. Vereor autem, ne paulo iniquius inculpaverit aſparagum *Helmontius:* Quid ſi enim ille Jurisperitus, jam *ante aſparagi eſum, coacervatas iu renibus ſuis fovit arenulas?* quæ ab illo tempore, quo excretionis ſtimulum ab aſparago acceperunt, ſubinde cum urina ſeceſſerunt, aliis (fortaſſe temperamenti hypochondriaco-ſcorbutici culpa) denuo ſuccreſcentibus, morbique diuturnitatem inferentibus. Potuit tamen etiam fieri, ut *largior aſparagi aſſumtio* cavitates renum ſeu pelvim eorum adeo diſtenderit, & amplificaverit, ut *labefactato tono* anſam præbuerint tartareis maſſæ ſanguineæ recrementis, ibidem moras nectendi & in ſabulum ſucceſſive concreſcendi. Non parum me confirmat in hac opinione, *conſimilis ab aliorum diureticorum liberaliori uſu eventus.* Imprimis hic refero *memorabilem caſum*, quem mihi narravit *Vir Magnificus, Prænobiliſſimus, Excellentiſſimus Dn. D.* IOH. IAC. BAIERVS, *Facultatis Medicæ Senior & h. t. Decanus ſpectatiſſimus, Patronus ac ſtudiorum meorum Promotor ætatem colendus:* Fœmina honeſta annorum circiter xxx. ultmis menſibus graviditatis vehementi (ut ſolet fieri) *appetitu* ferebatur *ad fraga*, quorum tunc erat maturitas. His aliquoties largiſſime ad ſatietatem aſſumtis, non multo poſt incepit *lumborum dolores* & *calculi ſymptomata* ſentire, a quibus antehac nunquam tentata fuit. Ab illo tempore ſingulis fere ſeptimanis, interdum continuis diebus pluſculis non ſine moleſtia *excrevit multum ſabuli, calculis quandoque lentis ac piſi magnitudine intermixtis.* Cui malo etſi varia opponerentur remedia, ab ipſo tamen penitus liberari ægra non potuit.

§. *XXI.*

Quemadmodum ergo, *Aſparagus*, perinde ut alia *eſculenta diuretica*, veluti per indirectum nocere poteſt

immoderate utentibus, ita si quis *modice* ipsum assumpserit, non facilè hinc læderur, quin potius *multiplicem in aperiendo & abstergendo* percipiet *commoditatem*. Ad abusus verò effectum hoc pertinet, quod *Plinius* scribit, *asparagos vesicam exulcerare*: Verum id rarius contingere arbitror, tametsi non impossibile sit, immodicam *Asparagi quantitatem* nimium abstergere parietes vesicæ, & *salino nitrosis particulis* quodammodo *erodere* posse fibras ejus. Est porro *noxii abusus asparagi* aliquale specimen, quod non semel expertus mihi asseveravit *spectatissimus Dn. Decanus*, *hæmorrhoidum* nempe *intumescentia ac dolor*; quamvis, ubi illæ apertæ ac fluentes redditæ fuerint, non modo non in damnum, sed in singulare beneficium cedant hypochondriacis, arthriticis, cachecticis.

§. XXII.

Esset in proclivi, *plures turionum asparagi virtutes* annectere, quas *Dioscorides* præsertim ac *Plinius*, nec non *Sim. Sethi* commemorant; cujusmodi est, quod *palpitationi cordis, colicæ, ictero, coxendicis cruciatui* medeatur, & quod *oculis claritatem afferat*. Quoniam vero experimentis & practicorum testimoniis destituor, nolo istis diutius immorari, persuasum tamen habens, quod in affectibus nominatis & affinibus aliis *temperando & aperiendo* prodesse aliquantulum *asparagus* possit. Peculiaris est observatio quam ex *Avicenna* in libellum, *Antonii le Grand* nomine editum (n) transsumptam invenio: *Inter ea quæ nitorem & pulchritudinem corporibus inducere perhibentur Asparagorum usus connumeratur, cujus efficacia a multis in corpore colorando fere mirabilis judicatur. Asparagi fœtentem reddunt urinam, & per illam pravos corporis expurgant humores: ob id mirum*

rum

(n) *Curios. rem. nat. scrutat. p. m. 169.*

rum non eſt , ſi iis evacuatis, corpus reliquum non modo odoratum reddatur, ſed etiam nitidum , & coloratum : quippe ex humorum pravorum congerie & palliditas & defloreſcentia nobis innaſcitur , quibus ceſſantibus ceſſat deformitas , & color nitidus exoritur. Sit fides penes Autorem ! Mihi ſane iſta *Aſparago* tributa virtus non firmiori talo ſtare videtur , quam ille *effectus , qui apud Martialem lepori adſcriptus legitur , quod is , qui hunc manducaverit, formoſus ac pulcher intra ſemptem dies ſit futurus.*

§. XXIII.

Satis jam multa de *aſparagi turionibus* in medium me protuliſſe puto, ut nunc ad *reliquarum ejusdem plantæ partium* , quæ in uſu ſunt , expoſitionem pergere queam. Vnicum vero dubium hic me pauliſper detinet ; *quid ſentiendum ſit de aliarum aſparagi ſpecierum turionibus, & an non perinde omnes eandem præbere poſſint utilitatem ?* ſed facile me expediam ſi dixerim, *pleraſque differentias ſuavitatem aſparagi altilis non aſſequi ;* uti ſane *Petrus Magnol* (o) de *marino aſparago* teſtatur , quod ejus turiones *amarore* ſe prodant , cum *ſylveſtris aſparagi* , licet iisdem fere locis cum marino oriatur , *turiones* , ſemper tamen *dulciores* exiſtant. Perperam igitur *Fallopius* , & poſt hunc *Rajus* exiſtimarunt , *maritimum aſparagum à ſativo ſpecie non differre*, cum is ne quidem ad *Corrudæ* aut *ſylveſtris aſparagi ſuavitatem* accedat. Nec probabilis eſt *Raji* conjectura , *per ſolam in hortos tranſplantationem mutari poſſe maritimum in formam ſativi* , quando ne cum ſylveſtri quidem, qui ſativo admodum cognatus eſſe videtur, experimentum transmutationis ſuccedit , ceu in §. VIII. demonſtratum eſt. Quo magis autem *ſativus aſparagus*

(o) *Botanic. Monſpel. p. m. 30.*

gus grato ſapore reliquis ſpeciebus palmam præripit, eo magis ab una aut altera harum ſuperari poterit *virtute medendi*, ut ita *ſativus ſuavitate*, *ſylveſtris & marinus medica virtute* præſtare videantur.

§. *XXIV.*

Seorſim nunc de *radice aſparagi* acturus obiter animadverto antiquum vocabulum *ſpongiæ*, ita enim *radiculas aſparagi inter ſe implicatas atque connexas, ut quaſi unitatem faciant*, ab olitoribus appellari, autor eſt *Columella* (p) quamvis nomen illud magis quadrare videatur in *ſupremam radicis partem*, quæ alias, *caput* dicitur, hæc enim rara & poroſa & *revera ſpongioſa* apparet. Ceterum id ominino concedendum eſſe arbitror compluribus medicis, *quod Aſparagi ſylveſtris radices hortenſibus præferendæ ſint*, exemplo analogo *cichorei* & aliarum ſylveſtrium plantarum, quæ ſponte naſcentes nobilioribus ſæpe pollent virtutibus quam quæ in hortis coluntur. Ad *temperamentum Aſparagi radicis* quod attinet, in eo a *turionibus* differt, quod *magis inclinet ad ſiccitatem*, & potentius ſe gerat *aperiendo*, quo quidem reſpectu *Galenus* (q) radicem turionibus pridem antepoſuit.

§. *XXV.*

Hinc ab antiquo *radix aſparagi* numerata fuit *inter quinque aperientes*, quæ variis viſcerum obſtructionibus reſerandis & humoribus lentis atque inertibus educendis conveniunt, ut rara ſint exempla *infuſorum* & *apozematum aperientium* ac diureticorum quæ iſtas *radices* excludant. Quare in *ſingulis affectibus* illis, in quibus *aperiens* & *abſtergens turionum aſparagi virtus* antea abs me laudata fuit, *radices* efficacius operari credibile eſt. Peculiarem uſum deprædicat *Galenus* l. c. *quod dentium dolores ea radix ſanet, ſiccitatis nomine, quam*

vel

(p) *Lib. XI, de re ruſtica.* (q) *de ſimpl. facult. Lib. VI.*

vel maxime dentes requirunt. Sed mihi effectus ille(si quidem succedit) potius a particulis blandis & sulphureo-mucilaginosis, *paregoricam vim* exerentibus, tum & à salino nitrosis humorum stasin circa dentes resolventibus quam a terreis siccantibus pendere videatur. Quod vero ex *Antonio Mizaldo* retulit *Joh. Schenckius* (r) *radices asparagi siccatas & dentibus infixas, illos absque dolore eradicare*, apud me quidem vix invenire potest fidem.

§. XXVI.

Alias insuper *virtutes radicis asparagi sylvestris* (quam altili præferendam esse jam docui) haud exiguo numero recensent *Dioscorides* ac *Plinius*, e. g. *quod decoctum ejus contra elephantiasin prosit, palangiorum morsibus*, & *puncturis apum medeatur, quod cum vino aut aceto cocta luxatos artus mulceat* &c. quibus examinandis, vel approbandis, vel confutandis immorari jam nec volo nec possum. Quemadmodum etiam de *baccis* & *seminibus Asparagi*, vix invenio memoratu dignum quod addam, præter *Dioscoridis* effatum, *quod semen potum ad eadem, ad quæ radix, valeat.* Seorsim tamen *Plinius*, autoritate *Chrysippi*, illud comendat *contra mictum ruentum.* Apud neminem vero alium autorem deprehendo quod *Jo. Poppius* (s) tradit, *asparagi baccas siccatas & in pulverem redactas cum aqua fol. querc.* assumtas, brevi tempore *dysenteriam sanare*; easdem quoque, indicio signaturæ coloris, *labiorum fissuras* curare, denique adversus *erysipelas faciei*, prodesse. His omnibus in casibus, si quid singulare præstant *baccæ Asparagi*, id quidem non tam communibus cum radice particulis, sed abundanti *delicatiori mucilagini*, per saporem manifestæ, tributendum esse suspicor.

TANTVM!

(r) *Lib. I. observ. Med. p. m.* 202. (s) Kräuter-Buch p. 513.

Nobilissimo atque Clarissimo

DN. CANDIDATO

S. P. D.

JOH. JAC. BAIERUS D.

Ordinis Med. Senior & h. t. Decanus.

O*Di pueros præcoci sapientia, & qui velocius, quam asparagi coquuntur, ad disciplinæ fastigium contendunt. Medicinæ præsertim hæc est conditio, ut limatum politumque judicium requirat, à puero aut adolescente, utut plurimis theoriæ præceptis instructo, haud facile expectandum. Te igitur, Vir Nobilissime, ex quo ad nostram accessisti Academiam, merito magni feci, quod rectum, tuæque ætati omnino conforme judicium, Artis medicæ fundamentis optime informatum attuleris, cujus beneficio, adhibita insuper singulari industria, mirum quantum profecisti, modico tempore, ut sine magna injuria honores & privilegia Doctorum Tibi denegare non potuerimus. Nec sine fato contigisse arbitror, quod antehac militiam honesto titulo aliquandiu secutus, Te præparaveris ad medicam prudentiam, cui sane cum militari magna intercedit affinitas. Ita enim persuasum habeo, Dioscoridem, Jul. Cæs. Scaligerum, aliosque præstantes Viros, bonam peritiæ suæ in re medica partem acceptam retulisse occasioni, qua multarum rerum usum in expeditionibus bellicis sunt assecuti. Gratulor propterea Patriæ tuæ, quod non minus idoneum medicum Te sensura sit, quam militem strenuum prius agnovit. Sic fratris beati laudem in medicina facienda in Te transferes; sic venerandi Avunculi felicitatem in medendo attinges; sic nos, qui dignitatem Doctoralem Tibi tribuimus, tam faustis eventibus expectationis & votorum nostrorum perpetim lætabimur. Ego vero seorsim, boni ominis ac spei plenus, salutem Tuam ardentibus Deo precibus, me autem Tuo amori commendo! Dab. Altorfi Nor. d. VII. Cal. Jul. A. R. S. cIↄ Iↄ CCXV.*

